

Kern

232 (1-28)



46

FACULTATIS MEDICAE DECANVS

D. FRIDERICVS AVGVSTVS
CARTHEVSER,

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

DN. IOHANNIS LVDOVICI CHRISTIANI SCHMIDT,
SARAPONTE - NASSOVICI,

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

INDICIT

SIMVLQVE

DE QVIBVSDAM VINORVM ADVLTERATIONIBVS,
SANITATI NOXIIS, QVAE ADDITAMENTIS
MINERALIBVS PERAGVNTVR,
BREVITER DISSERIT.

GISSAE HASSORVM,
MDCCLXXVII.



Typis IOAN. IACOBI BRAVNI, Acad. Typogr.







§. I.

An te aliquod tempus de adulterationibus vinorum, san-
tati noxiis, quae additamentis vegetabilibus instituuntur,
quaedam proposui. Iam nunc commemorandae sunt
nonnullae vinorum mangonisationes nociuae, ad quas
perpetrandas substantiis mineralibus uti vel potius ab-
uti consueverunt vini venditores. Inter has tum famosissima,
tum fere perniciosissima est illa, quae saturninis, & quidem ut
plurimum sic dicto lithargyrio (Glette, Bleiglette, Silbergette),
peragitur. Hoc scilicet additamento vinis Rhenanis, Franconi-
cis, Neccarinis, Gallicis &c. si acidiora & asperiora sint, mi-
tiores saporem atque dulcedinem quandam conciliant oenopolae
fraudenti. Ab acido enim vini plures paucioresue lithargy-
rii immixtae particulae solvuntur, quae cum eodem in sal quod-
dam dulce simulque valde stypticum, quod sacharum saturni no-
minant Chymici, coeunt, & sic vino saporem leniorem, subdul-
cem, linguae magis blandientem, largiuntur, quemadmodum
etiam fit, si corpora saturnina, ut minium, cerussa, lithargy-
rium &c. in aceto aliisque acidis vegetabilibus solvuntur, utpote
quae a particulis plumbeis in consortium receptis & in sacharum



rum saturni conuersis saporem dulcem, in recessu tamen plus minusue adstringentem, nanciscuntur. Vina autem eiusmodi substantiis inquinata valetudinem grauissime turbant, & partes solidas spasmodice ac vehementer constringendo atque meatus obstruendo, pessima symptomata producunt. Testantibus scilicet medicorum obseruationibus a vinis saturni veneno infectis, & largius inprimis aut frequentius ingestis varii pro varia corporum humanorum dispositione morbi oriuntur, quo pertinent constrictiones gulae, cardialgiae, anxietates praecordiales, palpitationes cordis, constipationes alui pertinacissimae, stranguriae, obstructions mesenterii aliorumque viscerum infimi ventris grauissimae, dolores colici vehementissimi, speciatim quoque atrocissima illa & periculosissima colicae species, quae colica Pictonum seu conuulsiva vocatur, paralyses & contracturae, asthma, hydrops, icterus chronicus alique affectus, qui saepe vix vllam medelam admittunt, sed omnem medici operam & artem eludentes citius tardiusue mortem afferunt. Propter hos tristissimos effectus varii Germaniae principes mandata ediderunt, quibus detestabilis illa vinorum fucatio plane vetita est, & in improbos legis violatores grauissimae poenae constitutae sunt.

§. II.

Diuerfis modis exploratur atque detegitur execranda haec vinorum adulteratio. Primus isque vltatissimus modus instituitur sic dicto liquore auripigmenti, qui ex auripigmento, calce viua & aqua simplici conficitur, & ob vsum suum vulgo liquor vini probatorius seu docimasticus, itemque a nonnullis, qui ad naturam eius respiciunt, hepar sulphuris arsenicale vocatur. Ad hunc liquorem parandum optime recipiuntur duae partes calcis viuae contusae & vna pars auripigmenti in puluerem redacti, hisque commixtis affunditur sufficiens aquae fontanae aut pluuiialis quantitas (sufficiunt autem partes aquae decem vel duodecim), &

& mixtura in olla terrea aut lapidea non vitreata, operculo tecta, per quatuor aut sex minutas coquitur, tunc ab igne remouetur & refrigerata per filtrum traicitur. * Liquor filtratus, qui aquae instar limpida est & odorem ouorum putridorum spirat, in vitro probe obturato, ne exhalent partes volatiles, asseruatur. Vinum purum & lithargyrio non fucatum instillato hoc liquore nullam coloris mutationem patitur, sed solummodo plerumque paulo turbidum fit & paucillum pulueris albo - flutescentis dimittit. Si autem vinum lithargyrio aliaue materia saturnina infectum fuerit, illud instillato liquore auripigmenti confectum colorem rubentem, fuscum aut nigrum induit, atque eiusdem coloris puluis maiori aut minori copia ad fundum secedit, quae diuersitas coloris & quantitatis pulueris secedentis a diuersa plumbi in vino soluti copia pendet. Mutatio indicata, quam vina saturnifata addito liquore illo subeunt, facile explicari potest. Nimirum particulae calcareae in liquore docimastico contentae cum partibus acidis vini sese vniunt, ideoque partes plumbi, quae hactenus cum acido vini coniunctae erant, separantur ac praecipitantur. Partibus plumbi separatis particulae sulphureo-arsenicales liquoris auripigmenti, antea cum particulis calcareis combinatae, nunc vero sub harum cum acido vini congressu pariter disiunctae ac deiectae, adhaerescunt, illisque colorem fuscum aut nigrum conciliant: Quod idem etiam obseruatur, si in ace-

a 3

rum

- * Alii mixturam ex calce, auripigmento & aqua non coquunt, sed tantummodo digerunt & per digestionem viginti & quatuor horarum liquorem auripigmenti conficiunt, quem deinde filtratione ad claritatem perducunt. Cel. Chymicus Parisiensis Dn. SAGE mixturae ex auripigmenti p. 1. & calcis viuae p. 2. aquae bullientis p. 6. affundit & sic ex tempore liquorem hunc praeparat, quem filtrando clarum reddit. Vid. *ei. chem. Untersuchung verschiedener Mineralien*, N. IX. *ueber die Methoden den Wein zu untersuchen*, Seite 132. qui liber ex Gallico in Germanicum translatus cum annotationibus doctissimis Cel. BECKMANNI prodit Gotingae 1775. 8.

tum lithargyrio aliaue substantia saturnina impraegnatum aliquid liquoris auripigmenti infunditur. Memorata vinorum saturnifatorum mutatio pariter contingit, si illis loco liquoris auripigmenti solutionem sulphuris mineralis vulgaris & puri cum lixiuis alcalicis aut cum calce viua paratam vel hepar sulphuris, ex sulphuris mineralis puri parte vna & salis cuiusdam alcalici fixi partibus duabus colliquesactionis ministerio paratum ac dein in aqua solutum, instillamus. Patet inde, ad indagandam particularum plumbearum in vino praesentiam sulphur arsenicale auripigmenti haudquaquam necessarium esse, sed quoduis sulphur minerale, siue id purum, siue moleculis arsenicalibus remixtum fuerit, cum sale alcalico fixo aut calce combinatum huic scopo inferuire, eundemque effectum in vina, aceta, aliaue acida vegetabilia, plumbo impraegnata, exerere.

§. III.

Hancee vinorum saturno impraegnatorum docimasiam nonnulli pro incerta atque dubia habent, quoniam liquor auripigmenti & hepar sulphuris non vnice plumbum, verum etiam reliqua metalla nigro aut fusco colore deiciunt; vid. ZELLERI *Diss. de Docimasia vini mangonifati*, Tubing. 1707. & Cel. SPIELMANNI *Analys. fontis Rippolsauensis*, Argentor. 1762. ideoque non tuto affirmari posse aiunt, vinum, quod instillato liquore auripigmenti aut solutione hepatis sulphuris aquosa colorem & magisterium nigrum vel fuscum exhibet, plumbo adulteratum esse, cum idem alio quodam metallo inquinatum esse queat. Allegatum assertum, quod scilicet praeter plumbum alia quoque metalla, acidis soluta, addito liquore auripigmenti aut hepate sulphuris nigro colore praecipitentur, verum utique est, experientia id docente, & propriis experimentis de huius rei veritate conuictus sum. Sic e.g. vinum Rhenanum, in quo aliquid viridis aeris seu aeruginis Monspelienensis solueram, instillato li-
quore

quore auripigmenti eandem plane mutationem subiisse obseruauī, quam vinum saturnisatum subit, ita vt vnum ab altero discerni haud potuerit. Propterea tamen haec docimasia, quae liquore auripigmenti aut solutione sulphuris alcalica ad plumbi in vino praesentiam declarandam instituitur, neuiquam reiicienda & utilitate sua priuanda est. Etenim vix aliis metallis, quam solo plumbo, suscipi solet aut suscipi potest vinorum adulteratio. Stannum purum in statu perfecto metallico solutionem in acidis vegetabilibus, speciatim etiam in vino, respuit, hinc vinis adulterandis ineptum est; ad calcis vero seu cinerum formam igne redactum in aceto quidem aliisque acidis vegetabilibus digestionis ministerio quoad partem soluitur, sed qualem usum calx illa ad vina mangonifanda praestare possit, non perspicio. Cuprum vini & quorumuis acidorum vegetabilium vnionem facile inicit, sed iisdem valde nauseosum saporem largitur, sicuti vinum in quo exigua portio viridis aeris soluta est, itemque vinum aut mustum in vase cupreo aliquamdiu repositum euincit. Hinc metallum istud inter corpora, quibus vina fucantur, vix ac ne vix quidem locum obtinet. Idem fere dicendum est de ferro, vtpote a quo vinum saporem ingrate stypticum adipiscitur, ceu vina martialia siue chalybeata, quae ad vsus medicos praeparantur, abunde probant. Quod ad aurum & argentum atinet, his adulterationes vinorum ab oenopolis perpetrari, nemo sanae mentis opinabitur. Ergo ex metallorum perfectorum numero solum superest plumbum, quod ad vinorum mangonifationes vsurpari solet, ideoque vix dubitandum est, vinum, quod affuso liquore auripigmenti colorem fuscum aut nigrum induit, plumbo. non alio metallo, adulteratum esse, inprimis si sapor eius subdulcis suspicionem huius adulterationis moueat. Quicquid denique sit, docimasia haec nunquam non eximiam utilitatem habet, certissime enim indicat, an vinum metallica quadam substantia fucatum sit, quae fucatio, quaecumque etiam metallum adhibitum fuerit, illicita semper & sanitati plerumque noxia existit.

§. IV.

Illi, quibus praedicta vina lithargyrio infecta examinandi methodus insufficiens & incerta videtur, alia ad saturninum virus detegendum methodo uti possunt, quae omnium sane tutissima est & ad vini suspecti euaporationem atque particularum plumbearum in eo solutarum reductionem redit. SAGE *l. c. Seite 134.* Nimirum duae ad minimum vel plures vini librae vulgares super igne ad siccitatem inspissantur. Magma remanens, quod principiis vini fixioribus, videlicet gummolo-resinoso-tartareis, constat, duabus partibus sic dicti fluxus nigri docimastarum (ex tartari vini partibus duabus & nitri parte vna per detonationem parati) miscetur ac deinde in crucibulo probe clauso decenti igne ad fluorem redigitur. Sic plumbi particulae magmati illi inhaerentes ad formam metallicam reducuntur, ita ut, crucibulo ex igne exempto, refrigerato & contracto, in eius fundo sub scoria salina plumbi granula conspiciantur. Notandum vero est ad hoc examen instituendum semper largiorem vini quantitatem (duas e. g. aut plures libras, ut paulo antea dictum est) recipiendam & inspissandam esse; minori enim vini copia adhibita, vix vllae plumbi particulae, licet vinum utique saturno infectum fuerit, ob earum paucitatem in conspectum prodeunt, quandoquidem ad vina adulteranda non adeo magna lithargyrii alteriusue substantiae saturninae portio requiratur.

§. V.

Ut mangonium vinorum plumbo institutum patefiat, in visum quoque vocari solet acidum vitriolicum concentratum, quod vulgo olei vitrioli nomen gerit. Vino scilicet suspecto aliquot eius guttae (& quidem, ut in *Pharmacopoea DANICA pag. 101.* praecipitur, vini binis vnciis olei vitrioli guttae sex) instillantur. Si vinum purum seu plumbi expers fuerit, nulla pelluciditatis turbatio inde obseruatur; si vinum vero saturno

infe-

infectum sit, illud statim lactescit & pulverem seu calcem albam ad fundum dimittit, quae nihil aliud est, quam calx plumbi ab acido vitriolico praecipitata & sub praecipitatione cum eodem coniuncta; qualis etiam praecipitatio contingit, si solutioni plumbi cum acido nitri aut cum aceto paratae acidum vitrioli infunditur. Nonnulli, inter quos etiam est Cel. MALOUIN, vid. ei. *Chym. medicin. Part. 3. Chap. 25.* ad detegendas plumbi particulas vino admixtas spiritum acidum salis culinaris commendant, & vinum saturnisatum hoc affuso turbidum fieri ac pulverem album saturninum deponere asserunt. Hanc vero docimasiam minus certam esse nec semper feliciter succedere experientia me docuit. Cum enim vino Rhenano, quod lithargyrio largiter impraegnatum erat, spiritum salis vulgarem & venalem instillarem, vinum pelluciditatem suam retinuit, nec pulvis albus deiectus fuit.

§. VI.

Sed satis de plumbo. Ad alias vinorum mangonisationes, quae substantiis mineralibus perpetrantur, progredior. Vina dulcia Hispanica interdum arsenico adulterari (in quem finem ignoro) Cel. quondam Chymicus Berolinensis CASPAR NEWMANNVS *Praelect. Chemic. Cap. de Vino pag. 1197.* tradit, idemque suspicatur SAMVEL LEDELIVS in *Ephemerid. Nat. Curios. Decur. 2. Ann. 6. Observat. 29. pag. 83.* cuius ipsissima verba huc transcribam: "Raro nos putum bibimus vinum Hispanicum, siquidem per mare per terram iactatum & vectum miras subit & alterationes & adulterationes. Nobilis a Fritschen prior marita quoties parum bibebat vini Hispanici, statim aderat tussis cum sputo purulento. Eruditus rarae texturae quoties bibebat aliquid huius vini, etiam molestabatur tussi absque tamen sputo sanguinis. --- Nonnemo volebat asserere, quod vino Hispanico arsenicum certa dosi admisceretur, id quod tamen pro-

b

veri-

veritatē hic non vendito, licet ratio erui posset, quare praedi-
cta symptomata ab usu huius existerent, *

§. VII.

Qua ratione diri illius veneni in vino praesentia explorari
& manifestari possit, NEVMANNVS *l. c.* indicauit. Nimirum ad
hanc docimasiam instituendam recipienda est solutio plumbi cum
aqua forti parata. Sed mutationes, quae inde in vino arsenica-
to eueniunt, haud commemorauit Auctor laudatus. Non su-
peruacuum igitur aut inutile duxi, si ad hanc rem certius &
accuratius cognoscendam ipse experimenta caperem. Eum in
finem solutionem plumbi saturatam cum aqua forti, duabus par-
tibus aquae simplicis diluta, parauit. Vinum quoque arsenico &
quidem largiter (vt sic mutationes eo clarius in sensus caderent)
impraegnaui. Vini scilicet Rhenani uncias quindecim affudi
drachmis duabus arsenici albi in puluerem redacti, & mixtu-
ram in vase vitreo mundo & obturato per horarum viginti &
quatuor spatium blando arenae calori exposui. Hoc tempore
praeterlapso tertia circiter arsenici pars soluta erat. Vinum hoc
arsenico impraegnatum ab arsenico in fundo vitri supersite per
decantationem separaui & in aliquam eius portionem paucillum
solutionis plumbi praedicta ratione paratae instillaui. Sic vinum
protinus lactescebat, secedente puluere ponderoso albo, qui sen-
sim tamen griseum colorem induebat. Cum idem experimen-
tum cum vino Rhenano puro nullisque particulis arsenicalibus
inquinato susciperem, easdem fere mutationes obseruaui; vinum
scili-

* NEVMANNVS *l. c.* scribit vina subinde etiam Mercurio sublimate
adulterari, eamque rem detegi posse mediante sale quodam alca-
lico, vt liquore salis tartari vel spiritu salis ammoniaci aquoso.
Sed vix mihi persuadere possum, venenum hoc potentissimum
& summe corrosiuum ad mangonificationem vinorum venalium
inquam adhibitum fuisse.

scilicet affusa solutione plumbi lactescebat & ad fundum cadebat pulvis ponderosus albus, qui sensim colorem non perfecte griseum, vt in antecedente experimento, sed tantummodo subgriseum assumebat. Ex his intellexi, solutionem plumbi acido nitri confectam ad detegendas partes arsenicales vino admixtas non satis idoneam esse. Licet enim pulueres ex vtroque vino, puro & arsenicato, praecipitados intuitu coloris, quem, aliqua mora interiecta, contrahunt, differentia quaedam intercedat, ea tamen non adeo insigniter & luculenter in sensus incurrit; hinc illi, qui ad vina arsenicata examinanda hac docimasia vtiur, facile dubium relinqui potest, an vino arsenicum insit nec ne.

§. VIII.

Aliam igitur, eamque certam atque tutam docimasia, qua partes arsenicales in vino reconditae explorari ac denudari possunt, indicabo. Ad eam instituendam idem liquor ex auripigmento & calce viua paratus inseruit, qui ad plumbum in vino explorandum adhibetur, & cuius praeparationem in antecedentibus exposui. Experimenta, quae cum vino Rhenano, quod ratione in §pho praecedente descripta arsenico impraegnaueram, suscepi, huius docimasiae vtilitatem satis demonstrarunt. Vinum scilicet arsenicatum instillato liquore auripigmenti illico turbidum lacteo - flauescens fiebat; & ad fundum secedebat pulvis colore flauo citrino praeditus, isque ponderosus satisque copiosus; cum e contrario vinum purum addito liquore auripigmenti leuissimam tantummodo pelluciditatis mutationem subeat, & nonnisi paucae sedimenti albo - flauescens particulae deiiciantur, ceu iam in antecedentibus notatum est. Vini illius arsenicati aliquot guttas vini puri portione quadam miscui ac dein liquorem auripigmenti instillavi, eodem plane effectu subsequente; vinum enim protinus turbidum factum & pulvis citrinus, licet minori copia,

deiectus est *. Ratio memoratae mutationis in sequentibus consistit. Particulae scilicet calcareae, quas liquor auripigmenti continet, cum particulis acidis vini sese uniant; ita disiunguntur atque deturbantur partes arsenici, antea cum acido vini coniunctae, simulque in societatem recipiunt particulas sulphureas liquoris auripigmenti, & ab his colorem luteum citrinum nascuntur. Notum enim est, album arsenici colorem, si id cum sulphure combinetur, siue combinatio haec sublimationis, siue fusionis, siue alterius encheireseos ope peragatur, in flavum (imo maiori sulphuris quantitate adiecta, in rubrum) transmutari. Pulvis igitur flavus citrinus ex vino quodam arsenicato per liquorem auripigmenti deiectus nihil aliud est nisi arsenicum a moleculis sulphureis adhaerentibus flavo colore tinctum. Hinc pulvis ille, si a fluido separatur, leniter siccatur atque carboni candenti aut laminae ferreae candefactae inspergitur, arsenicalem suam indolem satis prodit, siquidem arsenici more in fumum album odoris alliacei resoluitur.

Plures supersunt mineralium species, quibus vina, maiori aut minori valetudinis detrimento, adulterantur, sed de his im-
prae-

* Postquam experimenta haec institueram, ad manus meas peruenit Ephemeridum litterariorum, quae Altonaviae sub titulo Neuer gelehrter Mercurius prodeunt, *Ann. 1776. Scida 51.* in cuius calce modus communicatur, quo arsenicum liquori cuidam admixtum manifestum reddi possit. Verba ipsa apponam: "Wenn man mit einem Liquor, worin sich Arsenic befindet, einige Tropfen einer Auflösung von Schwefelleber vermischt, so wird sogleich ein Praecipitat von einer citrongelben Farbe sichtbar. Es ist daselbe gewis nichts anders, als ein Operment (vel potius ein Rauchgelb, Arsenicum flavum), das in dem Augenblick der Vermischung des Schwefels mit dem Arsenic entsteht." Modus hic cum docimasia a me proposita convenit, praeterquam quod loco sulphuris arsenicalis auripigmenti sulphur vulgare purum & loco calcei sal alcali fixum adhibeatur. Ceterum effectus vnus idemque est & res eodem fundamento nititur.

praesentiarum differere limites programmatis vetant, ideoque mangonificationum reliquarum expositionem ad aliam occasionem referuo. Iam publice significanda sunt sollemnia inauguralia Cand. Nobiliss. Dn. Schmidt, Saraponte - Nassouici, qui in hac litterarum vniuersitate ad disciplinas medicas solide addiscendas omnem curam atque operam contulit, sicut ex sequente vitae curriculum, quod ille Ordini Medicorum tradidit, elucescet.

Ego IOH. CHRISTIAN. LVD. SCHMIDT die Ildo Mensis Febr. Ao. MDCCLIV. Saraponte vitam ingressus sum. A Consiliis Serenissimi Principis Sarapontano - Nassouici erat LVD. CHRISTIAN. SCHMIDT, quem patrem veneratus sum, qui vero abhinc fere biennium rebus humanis exentus est. LVISAM ex gente WAGNERIANA ortam, deique indulgentia adhuc superstitem, carissimam matrem habeo. Quum vix eam ingenii vim nactus fuisset, qua religionis earumque artium, quibus puerilis aetas instrui debet, capi possunt elementa, fidelissimi parentes ad Celeberr. Dnos KIEFER, HANDEL, MACKLER & GRAFF, doctissimos praeceptores, qui tunc temporis Gymnasium Saraponte florens condecorarunt, me mittebant. Ab his meritiss. viris in lingua latina, graeca & gallica, nec non Geographia, Historia vniuersali, Physica experimentalis, Mathesi tam pura, quam applicata, Logica, & Peeseos rudimentis, potissimum vero rebus diuinis moribusque secundum optimos autores, fideliter excultus sum. Doctissimorum itaque Praeceptorum tam publicorum, quam priuatorum opera factum est, ut in iis scientiis, quae ad ulteriora studia, academica dicta, requiruntur, progressus fecerim. Nunc carissimi parentes proprio meo arbitrio permittebant, in studium quoddam incumbere, quod mihi maxime esset

delectationi: sed ad naturae studium vehementer semper propensus,
 medicum elegi. Propositum hoc consequuturus primo ad cognatum
 meum, Dominum BRVCH, Pharmacopoeum valde celebrem, & qui
 Homburgi prope Bipontem habitat, iter institui, eoque duce artem
 Pharmaceuticam, maximo meo emolumento, per triennium didici.
 Sed iam tempus omni cura animum ad studia academica accommo-
 dandi instabat. Nulla Academiarum ad hoc mihi aptior Ludouiciana
 videbatur, quare hanc Almam florentissimam sine mora adii. Post ad-
 uentum meum statim ad Magnificum Rectorem, quos summos hono-
 res eo tempore Excell. atque ampliss. Dn. SCHVLZ Linguarum
 Orient. Prof. ord. tenebat, me contuli, cuiusque academicorum
 albo die XXX. Mens. Apr. MDCCLXXV. nomen dedi. Re-
 clusis iterum auditoriis in scientiis, quas nunc enarrabo, occupatus
 fui. Apud Excell. atque Experientiss. Dn. Drem BAVMER Prof.
 Med. primar. artem medendi singulis morbis accommodatam secundum
 Ioh. Zach. Platnerum, chirurgiam manualet eodem duce, nec non mor-
 borum acutorum Therapiam secundum Cel. Dn. Tissot, tandemque
 morborum venereorum curationem Bassio duce didici, ita, ut vberri-
 mos perceperim fructus. Excell. atque Experientiss. Dn. Drem CAR-
 THEVSEER Phil. & Med. P. P. ord. Materiam medicam ad pro-
 prias Theses, Botanicam secundum Linnaei systema sexuale, Phar-
 maciam secundum Reziun, & physicam dogmatico - experimentalem
 quoque ad proprias Theses, nec non Methodum formulas concinnan-
 di, & denique Historiam naturalem ad Compendium Ebertianuu,
 doctissime docentem audiui. Celeberr. atque Experientiss. Dnus Dr.
 NEBEL Med. chirurg. & art. Obst. P. P. ord. Artem obstetrican-
 di



di duce Cel. Steimio, chirurgiae rationalis institutiones, secundum Ioh. Zach. Platnerum, & artem fascias debita dexteritate & elegantia variis corporis partibus applicandi solidissime me docuit. Excell. atque Experientiss. Dni Dris DIEZ Praelectionibus physiologicis ad perill. Halleri primas lineas, & demonstrationibus anatomicis in genere, in specie autem ossium diligenter interfui, & ex his ut & ex praelectionibus pathologicis secundum Gaubium, atque examinatorio, quod de corporis humani actionibus instituit, maximam hausi utilitatem. Excell. atque Doctiss. Dnum Drem SCHMID Eloq. & Poes. P. P. O. Iuuenalis Saryras, Salzeri Encyclopaediam & Ovidii Nasonis libros Tristium summa cum suauitate explicantem diligenter audiui. His autem omnibus viris Celeberrimis, optime de me meritis, Patronis, Fautoribus ac Praeceptoribus ad cineres usque venerandis pro tot tantisque beneficiis, animum profiteor obstrictissimum. Nil itaque reliquum est, quam ut vos, viri Excellentissimi atque Experientissimi decenter rogem, ut ad examina consueta admittar, quo probatis meis studiis dissertationem inauguralem conscribere, ipsam, ut par est, publice defendere & dein ab illustri senatu academico Medici Doctoris gradum submisse petere mihi liceat.

Examina cum Dn. Candidato nostro instituta abunde docuerunt, eundem eximia rerum medicarum cognitione instructum esse, ideoque is dignus existimatus est, qui laurea Doctorali condecoretur; quam ut rite ac legitime obtinere possit, Dissertationem Inauguralem Medico - Chirurgicam de nuper proposita sectione
syn-

Synchondroseos ossium pubis in partu difficili propria industria elaboravit, eamque d. XXIX. April. e cathedra defendet. Cui actui vt benéuole adsint MAGNIFICVS DN. RECTOR, MAGNIFICVS DN. PROCANCELLARIVS, ILLVSTRISSIMVS DN. COMES, EXCELLENTISSIMI ac CELEBERRIMI singularum Facultatum DN. PROFESSORES, aliique litterarum PATRONI ac FAVTORES, vt & HONORATISSIMI DN. COMMILITONES, ea, qua decet, obseruantia & humanitate rogo.


Dab. in ACAD. LVDOVIC. d. xxiv. April.
MDCCLXXVII,



1018

PICA





76

FACULTATIS MEDICAE DECANVS
D. FRIDERICVS AVGVSTVS
CARTHEVSER,

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
DN. IOHANNIS LVDOVICI CHRISTIANI SCHMIDT,
SARAPONTE - NASSOVICI,

SOLLEMNIA INAUGVRALIA

INDIC

SIMVL

DE QVIBVSDAM VINORVM

SANITATI NOXIIS, QV

MINERALIBVS

BREVITER

GISSAE H

MDCCCL

Typis IOAN. IACOBI B

